

in manus sumpserunt Theologi, radix exstitit atque fons, ex quibus tot inter Christianos discrepantes pullulârunt sententiæ, tot adversis pugnantes frontibus scaturiverunt sectæ, tot profluxerunt scismata, quæ Christianum orbem à jactis illius fundamentis continuò infestârunt, atque etiamnum infestant indies, adeò ut illius incolæ telis, quæ in Ethnicos, Judæos, Mahometanos, communes illos cœlestis doctrinæ hostes, torquenda erant, mutua in pectora maximô veritatis damnô abuti miserè cogantur. Neque divisa lacri Christianismi membra cœadunari, tótque ad eundem capita sensum meliore mihi remedî redigi posse videntur, quâm eodem illô, quô morbus præveniri atque præcaveri poterat, Normâ scilicet, atque regulâ certâ, minimèque fallaci, ad quam, tanquam ad Lydium lapidem, omnis Interpretationis veritas, exigatur, exploretur, dijudicetur. Quocirca illorum minimè contemnenda, multò minus insectanda; verùm maximis extollenda laudibus ac promovenda est opera, qui illi reperiundæ ingenii sui intenderunt nervos, studiorumque suorum partem consecrârunt. Unde nec ego, quamvis novus, atque in hâc palæstrâ rudis athleta, me in hujus indagatione aliquid temporis ac laboris impendisse erubescam, quidque istâ in re profecrim atque effecerim Tractatulô hōc impræsentiarum Theologico exponere orbi minimè verebor. Evidem neque rixandi aut contradicendi libido, neque lucri cupiditas, neque gloriae studium; sed, ut ad investigandum impulit, sic ad scribendum excitavit solus sincerusque Veritatis amor: quam mecum omnes, qui mente attentâ, ac à præjudiciorum nebulis liberâ rem sedulò examinare, paucasque has pagellas perlegere dignabuntur, affecuturos, spero atque confido.

2. Ut autem in iis certiori gradu, ac majori cum profectu versentur, ad tria hæc capita, quibus totum negotium absolvam, respici, atque attendi velim. Primum quædam de Controversiæ subiectô & prædicatô prælibamina, ex iisque propriam ~~modictria~~ demonstratam sententiam explicabit. Alterum nostræ demonstrationis ab objectionibus, quæ adversus illam fieri possent, vindicias exhibebit. Ultimum descrepantium à nostrâ sententiâ Opinionum refutationem, ac argumentorum, quibus illæ stabiliri solent, solutionem ob oculos ponet.

C A P. II.